

potest, quantum tunc gaudium in coelis & terris sit oriturum, unio tunc esset realis, vera & optima, neque opus, ut per clausulas & cothurnos concipiatur, firmetur & male confarcinetur, sed unitas ipsius fidei & professionis, quae sola vera est, effloresceret, nemine cogente, persuadente, aut artificiis inanibus & veritatem supprimentibus utente. Hoc votum nostrum sanctum, pium & Deo placens est, optat enim pacem, quae *superat omnem rationem humanam*, pax vero per rationem humanam in rebus tanti momenti de deposito divino formata, non nisi infelicissimos eventus tandem parere potest, ut quisquis demum manum de tabula detineat, animae suae, & Ecclesiae optime omnium consulat.

§. II. Obscurius vero paulo differit Allocutor, dum *hisce omnibus nuntium tandem mittendum censet*. Non enim satis se exprimit, utrum *de universa controversia* loquatur, eamque prorsus seponendam & sacrificandam seu extinguendam credat? an saltem sermo ipsi sit, de *quadriga affectus, puncti honoris, studii sectae & praejudiciorum*, quam existimet esse plane removendam & pacem curandam. Imperat nobis lex dilectionis, ut mitiorem sequamur interpretationem, & de posteriori saltem institui sermonem, credamus, cum Autoris mens dilucide non sit exposita. Vix enim nobis persuadere possumus, ipsum tantum religionis momentum, quale in communicatione Idiomatum reponitur, adeo levis ponderis habiturum. Si vero, quod credimus, de posteriore ita pronunciare animus fuerit, & alloquatur per τὸ ΜΙΤΤΑΜΥΣ, Fratres Ecclesiae nostrae Evangelicae, eosque commonefaciat, confirmat me istud in admiratione, quomodo audeat nostratibus *pravos affectus, punctum honoris, studium sectae & praejudicia* tribuere; utpote quibus hac ratione, ex mente Allocutoris, occaecati, non vero sincero veritatis coelestis studio tractaverint controversias cum Reformatis: & quibus nunc tandem nuntium mittere debeant, eaque omnia nunc sacrificare. Qua, quaeso Allocutorem in facie Ecclesiae publica! veritatis specie poterit ista omnia probare? & quid credit, peccatum esse a nostratibus in illis controversiis? Facile enim nobis esset, demonstrare, illam quadrigam a nostratibus prorsus per Dei gratiam abfuisse & adhuc abesse, nihilque aliud superesse, quam ut in deposito tuendo, precibus pro omnibus errantibus fundendis, & reliquis officiis strenue pergant. Sic sacrificabitur porro Deo sanctissimo suum,

VFFI-